



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XX. Petra Moysis, ex qua percussa fons vivus aquarum emanavit, typus extitit Christi crucifixi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XX.

Petra Moyſis, ex qua percuffa fons vivus emanavit, typus Chriſti crucifixi.

Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ. Pſal 77. 20.

I.

Num. 20. 2.

Cum populus Iſraëliticus in arido deſerto graviffimâ laboraret aquarum penuriâ, omnésque fontes ac putei in Cades eſſent deſiccati, parùm abfuit, quin tota populi multitudo contra Moyſen & Aaron in ſeditionem verteretur: *Cumque in aigeret aquâ populus, convenerunt adverſum Moyſen & Aaron, & verſi in ſeditionem dixerunt: Utinam periſſemus inter fratres noſtros coram Domino: Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem, ut nos & noſtra jumenta moriamur? In hac trifti rerum facie, cùm tumultus, murmur & contradictio vulgi contra Moyſen & Aaron in univerſis caſtris ac tribubus increparet, Moyſes dimiſſâ ſeditioſâ turbâ, ſolo fratre ſtipatus tabernaculum fœderis ingreditur, ubi pronus coram arca Dei corruens, humilibus votis DEUM exorat, ut populo ſuo ſitienti theſaurum & aquæ vivæ fontem adaperiat. Apparuit autem ibidem gloria Domini ſuper eos, juſſitque Dominus Moyſen, ut virgam ſuam tolleret, & in deſerto petram pæ cæteris eminentiorem percuteret: Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei, congregatâ multitudine ante petram, dixitque eis: *Au lite rebelles & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? Cùmque elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſa ſunt aqua largiſſima, ita ut populus biberet & jumenta &c.**

Per hanc petram S. Paulus Chriſtum JESUM & hunc crucifixum intelligit: *Petra autem erat Chriſtus. per virgam D. Auguſtinus crucem Dominicam accipit: Quod virgâ, inquit, petra percutitur, crux Chriſti figuratur, ligno enim accedente ad petram, gratia manavit, & quod bis percutitur, evidentiùs ſignificat crucem, duo quippe ligna ſunt crux; per aquam vivam largiſſimè de petra in ſalutem populi præmanantem, divinus ille Sanguis & aqua præfigurabatur, de quo dilectus ille Chriſti diſcipulus: Joan. 19. 34. *Unus milium Lancea latus ejus aperuit, & continuo exiit ſanguis & aqua.* Sub-*

Subintrat hic S. Ambrosius: *Aqua, inquit, & sanguis exivit, illa qua diluat, iste qui redimat.* Et S. Hieronymus: *De latere ejus cum percussus est sanguis & aqua processit: quod baptismum & martyrium figuravit.*

S. Ambr. in
e. 23. Luc.
S. Hieron. in
Psal. 77.

2. Observat autem S. Paulus Gentium Doctor, quod petra illa praedicta, qua universae Hebraeorum multitudini saluberrimas in solitudine subministrabat aquas, populum per desertum per varias vias & ambages peregrinantes subsecuta sit: *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra.* Et quemadmodum caeleste manna, quamdiu Hebraei in praedicto degebant deserto, illos quotidie sequebatur, quo erant nutriti ac conservati: Ita & aqua ex petra percussa, jugiter promanans, imposterum populum concomitata est: *Consequente eos petra;* Et si Theodoro & Cosmographis credimus, adhuc in hodiernum usque diem non deficit.

1. Cor. 10. 4.

Ex hac pulcherrima figura nosce figuratum: Sic Christus crucifixus, vera salutis petra, per gratiam suam semper hactenus secutus est Ecclesiam suam, & etiamnum incessanter sequitur, subministrans ex vena Sacratissimi Cordis sui sanguinem & aquam: *Aquam, ait Mallo-*

Mallon. de S.
Sindon, apud
me fol. 271.

nius, *qua lavemur a peccatis. sanguinem, quo nutrimur.*

3. S. Clementem quartum a Christo Pontificem Maximum consulamus, qui pluris S. Petri & D. Pauli aestimavit disciplinam, quam Imperatoris Domitiani affinitatem; Qui cum propter fidem Christi JESU crucifixi, quem intrepidus praedicabat, in Insulam quandam transmarinam, Chersonesum vocant, a Trajano Imperatore fuisset relegatus, ut ibidem fame, siti, labore, aliisque conficeretur arumnis,igentem illic locorum invenit Christianorum multitudinem, ad secanda marmora, & eruenda saxa condemnatam, qui omnes de summa aquarum penuria apud Sanctum Pontificem conquesti sunt; humiliter & impensissimè eum rogantes, ut apud crucifixum Amorem suum intercederet, quatenus ipsis venam aquae vivae adaperiret. Quid agit Sanctissimus Pontifex? Misericordiâ motus ob proximi salutem vicinum petrosum montem conscendit, ubi cum non sine lacrymis preces ingeminasset in caelum, in summo petrae jugo Agnum Divinum stantem conspicatus est, qui dextro pede percussit petram. & fluxerunt aqua cum magno impetu per declivia montium, qua omnes Christiani inter Dei laudes sitim explebant, multique infideles, ubi hoc insolitum videbant prodigium, ad Christum crucifixum, verum illum Dei Agnum conversi sunt.

Brev. Rom.
23. Nov.

4. Et quid dico? Plures petrae etiamnum hodie per mirabile, vel Dei vel naturae prodigium exhibent figuram crucifixi Domini. Ita Venetiis in celeberrimo S. Georgii M. templo in petra marmorea

Quaresm. Niti-
remb 1. 3. c. 7.
Grethser, &
alii,

imago crucifixi Salvatoris nostri non sine admiratione à natura videtur impressa & elaborata.

Non longè à Madrito Hispaniæ Metropoli magnâ populi cum frequentatione colitur imago quædam Crucifixi JESU, quæ in dura petra expressa & ab ipsâ natura sic impressa videtur.

In Poveia in quadam petra conspicitur devota aliqua imago Christi in cruce suspeni quæ non hominum industriâ aut arte, sed ab ipso Authore naturæ, vel Angelorum ope videtur ita esse impressa.

Virgilius Cepararius in vita B. Aloysi.

B. Aloysius Gonzaga S. I. cum aliquando cum Serenissima Matre sua inter marinos oberraret scopulos, petram vidit quinque notis insignitam, quæ distinctè quinque Sacratissima Christi referebant vulnera; quam petram Beatus ille Juvenis singulari ob Christi crucifixi amorem coluit honore.

Prope Soriam in regno Hispaniæ petræ reperiuntur, quæ scissæ & divisæ in partes, in quolibet segmento & particula crucem figurant. Habeo de ejusmodi lapidibus plures ad manus. O utinam DEUS cordi nostro lapideo imaginem crucifixi Filii sui dignetur imprimere, uti quondam fecit B. Claræ de Monte Falco, in cujus corde post beatum illius obitum Crucifixus divinitus impressus, inventus est.

Le Blanc in Psal. 98. v. 1. fol. 273.

5. Audiamus de hac mystica Petra (crucifixo JESU) quam Judæus percussit, mirabilem historiam. Homo quidam Christianus Constantinopoli supra januam domus suæ imaginem crucifixi Salvatoris erexerat, quam impius Judæus de nocte transiens, ex odio in Christianam religionem, ipsumque Christum innato, non dumtaxat de loco dejecit, sed & cultro vultum ejus scædè punxit ac vulneravit, ex quo inflicto vulnere sine mora ingens copia cruoris effluere cœpit, ipsasque Judæi sacrilegi commaculare vestes; qui rei novitate & miraculo perterritus sacram imaginem in propinquum puteum dejecit, & domum reversus est. Accidit, cum manè facto homines ex more ad hauriendam aquam ad hunc publicum venissent fontem, & inde non solitam aquam, sed merum haurirent sanguinem, magno terrore & admiratione repleti, per plateas civitatis discurrentes exclamarent: *Manhu, quid est hoc? Manhu, quid est hoc?* Adest in tempore urbis Præfectus, qui existimans quòd occisi cujusdam hominis in hunc puteum dejectum esset corpus, totum fontem aquis exhaurire mandat, in cujus tandem fundo non hominis occisi cadaver; sed crucifixi Redemptoris nostri imago pluribus sauciata plagis, & adhuc recenti manans sanguine inventa est. Quo miraculo Præfectus & sancto timore & commiseratione commotus, rem ad Imperatorem tunc adhuc Christianum defert, qui voce præconis proclamari in urbe jubet, ut, qui hoc

hoc execrandum commisisset facinus, ultrò sese in iudicio sisteret, indulgentiam enim & veniam ab Imperatoris benignitate reo certò sperandam, secùs sceleris auctorem extremis perimendum supplicii. Audiit hoc fortè uxor præfati Judæi, quæ ex mariti sui timore & vestibus recenti sanguine tinctis, non imprudenter secum rationabatur, virum suum hujus enormis sacrilegii esse auctorem; igitur illum secretò ad Magistratum defert, à quo mox per submissos apparitores captus, & ad Imperatorem ductus est, ubi multis profusis lacrymis ultrò est confessus, se tanti esse reum flagitii, veniam tamen sperare & gratiam, quia cum tota familia sacrum baptisma & Christianam religionem disciperet suscipere, quod & factum est. Itaque veneranda illa Christi crucifixi imago magno populi cum concursu & devotione in Ecclesiam S. Sophiæ illata, & puteus deaurato coopertorio tectus & multo argento exornatus est. O Christiani omnes, venite ad hunc gratiarum fontem, Christum JESUM crucifixum, & haurietis aquas

Isa. 12. 3.

in gaudio de fontibus Salvatoris.



CONSIDERATIO XXI.

Serpens æneus in deserto exaltatus, typus Christi JESU pulcherrimus in cruce exaltati.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis. Joan. 3. 14.

1.

INter alias figuras, quas sacra Scriptura nobis de crucifixo Domino ac Salvatore nostro Christo JESU exhibet, non minima est illa, quam Moyses legifer & dux populi Israëliti in solitudine quondam populo electo Dei proposuit. Acceperat hic populus plurima à DEO beneficia, quibus tamen non obstantibus sese ingratiſſimum erga summum hunc suum benefactorem exhibuit, & in publica murmura contra DEUM & Moysen erupit, quòd ex Ægypto

K 3

in